Al- ‘Ahd al-ǵadīd li-rabbinā Jasū‘ al-Masīḥ

Edente Thoma Erpenio

Erpenius, Thomas

urn:nbn:de:hbz:5:1-8036

obtrectatores quoſcunque, ampliſſimi veſtri nominis præſidio tueamini etiam atque etiam rogo.

Deus Opt. Max. Illuſtriſſimi Ampliſſimique viri vos quam diutiſſime ſervet incolumes.

Leidæ, Calendis Septembris, anni a nato Meſsia CIↃ IↃ CXVI.

novum, & Christiano hactenus orbi nondum visum, atq; à viris multis pijs, & eruditis diu desideratum, non potui non, Illustrißimi Domini, vestro nomini consecrare; tum quod è vestra id prodeat Academia, expressum è Noblißimo Bibliothecæ vestræ codice manuscripto, tum quod nefas esse duxerim sacras hasce Typographiæ meæ, ad Literarum Orientalium promotionem, & Academiæ vestræ illustrationem institutæ primitias, ijs non dedicare, quorum in fovenda pietate, & promovenda omni literatura studium jam toto terrarum orbe factum est celeberrimum. Vos hoc qualecunque munusculum meum, Amplißimi Proceres, ut æqui bonique consulatis, meamque huic editioni impensam operam adversus

 obtrecta-

ſionis & antiquitatem, & fidelitatem, Theologis omnibus non minus futurus utilis, quam nobilis illa Syriaca editio, quæ Viennæ Auſtriæ primum, ſexaginta abhinc annis, auſpicijs Ferdinandi Rom. Imp. *& ſtudio viri Clariſsimi* Iohannis Alberti VVidmanſtadij, *cum magno Chriſtianorum applauſu, in lucem prodijt. Quanta autem fide verſio hæc ſit facta, quæq; ejus futura ſit utilitas linguæ Arabicæ periti facile agnoſcent, ſi vel paucas tantũ paginas attente perlegerint, linguæ vero ignaris abunde etiam innoteſcet cum eam in Latinum ſermonem ad verbũ a me traductam & neceſſarijs notis illuſtratam evulgavero, quod brevi, favente Deo, futurum quoque eſt, eadem qua hæc editio prodit forma. Cæterum opus hoc*

novum,

parare Orientalem. Ejus non ita pridem rude in lucem edidi specimen Locmani Apologos: *nunc verò justas do primitias* SACROSANCTVM D. N. IESV CHRISTI TESTAMENTVM, *multis abhinc seculis in Arabum sermonem conversum. Nam etsi non desint mihi præstantes libri ab ipsis Orientalibus conscripti, neq; ex alijs linguis traducti, à quibus auspicari potuissem; multis tamen & gravibus de causis visum mihi fuit à sacris hisce initium facere: certus quoq; complurium virorum doctorum indicijs, eam rem & Theologiæ, atque pietatis, & Arabismi studiosis multo gratissimam fore. Est enim liber hic ob linguæ nitorem, & facilitatem, non solum cum primis ad eam linguam discendam idoneus, verum etiam ob ver-*

prehensam potest recludere: ut nihil interim dicam de plurimis veterum Græcorum & Latinorum præstantissimis libris, quos apud nos studiorum contemptus & temporum injuria sustulerunt, apud Arabes felix rerum successus & literarum cultura intergros in sermonem Arabicum traductos conservarunt. Cum itaq; in animum induxissem meum studia Orientalia, non viva solum voce, in celeberrima vestra Academia; sed editis etiam in lucē libris, tum ipsorū Orientalium, tum meis, in universo orbe Christiano totis viribus promovere; neq; Typographus mihi suppeteret necessarijs ad eam rem literarum formulis instructus, coactus fui rem supra modum arduam, & magnæ impensæ aggredi, atq; Typographiam, in hunc solum finem, mihi

parare

nem & felicitatem pervenerit, ut hac in parte, mea quidem sententia, nihil habeat quod veteri Græciæ & Latio invideat. Atq; hæc, Viri Nobilissimi, causa est cur ego pro virili mea linguas etiã Orientales & discere & docere alios studeam: certus quippe earum culturam felicitati huic nostræ haud exiguam accessionem facturam esse. Nam ut de Hebræa, quæ jam pridem satis feliciter, à summis ingenijs, non sine magno orbis Christiani bono, excoli est cœpta, & alijs etiam Orientalibus taceam; sola Arabica totius Asiæ & Africæ sapientiam, pluribus etiam quam Græci & Latini habent voluminibus, septingentorum annorum spatio, quo studia apud Sarracenos, regnante apud Christianos barbarie, floruerunt, conscriptis, com-

prehen=

disciplinarum omnium, atq; artium quæ monumentis magnorum ingeniorum sunt proditæ, necesse est ut ignoratio linguarum veluti ostia disciplinarū, quæ ijs comprehensæ sunt atq; consignatæ, claudat, notitia verò aperiat, atque aditum ad eas facilem præbeat. Luculentissimum ejus rei exemplum superius nobis exhibuit seculum, quo discussis, a magno vestro Erasmo, Guljelmo Budeo *alijsq; viris eruditis, æterna memoria & laude dignissimis, linguæ Latinæ, & Græcæ tenebris, incredibile dictu est quanta ilico scientijs omnibus & disciplinis lux affulserit. Latinæ utique & Græcæ linguæ cultoribus illis & promotoribus debemus, quod seculum hoc nostrum in omni scientiarum & artium genere ad eam perfectio-*

nem

ILLVSTRISSIMIS

HOLLANDIAE

ORDINIBVS

THOMAS ERPENIVS.

COGITANTI *mihi, Nobilißimi atque Amplißimi Patres, quæ potißimũ causa fuerit cur ſuperioribus aliquot ſeculis tantus ubique in orbe Chriſtiano ſcientiarũ omnium atq; artium viguerit neglectus, & tantis veterum omnium ſapientia fuerit circumfuſa tenebris; comperio barbariem eam fuiſſe, & linguarum nobiliorum contemptum atq; ignorationem. Etenim cum, vti præclare ait doctißimus* Ludovicus Vives, *linguæ fores ſint*